



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Brevis Expositio Propositionum Damnatarum

Didacus <ab Aragonia>

Venetiis, 1728

Mohatra.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42653

dit die 18. Septemb. 1683. posse quidem aliquando concurrente rationabili causa vacare, tunc autem non posse, si celebret, pro aliis sacrificium offerre, quam pro fundatore illius cappellania; immò interrogata etiam S. Congr. ab eodem Episcopo, an die vacationis teneatur Sacerdos per alium satisfacere, noluit annuere, sed dixit differendam esse ad tale dubium responsonem.

M O H A T R A .

424. **Q**Uæritur. Quid sit contractus Mohatra, & an sit licitus, etiam respectu ejusdem personæ, & cum contractu retrovenditionis præviè inito cum intentione lucri?

Resp. Intervenit hic contractus, dictus apud Hispanos Mohatra, & apud Italos *Stocco*, seu Barata, quoties Cajo indigens pecunia numerata adit mercatorem, qui nolens pecuniam dare mutuam offert merces, quibus ille non indiget, ut emat eas pecunia cedita pretio summo, puta 105. & deinde sibimet retrovendat easdem pecunia numerata pretio infimo, puta 100. hujusmodi contractus damnatus est ut illicitus ab Innoc. XI. cum prop. 40. & quamvis non dicatur illicitus, vel quia scandalosus, vel quia contra charitatem, vel quia contra justitiam, communiter tamen docent, esse injustum, & usuram palliatam continere, ratio est, quia Cajo indigenti pecunia solvit mercator centum, & necessitatem imponit, ut ille aliquando debet solvere centum, & quinque, adeoque æquivalenter idem facit ac mutuarius, qui mutuatur centum, & supra sortem exigit etiam quin-

quinque; tum quia contra hunc contractum est eadem ratio, quæ adducitur ad reprobandam usuram, nam idè usura est illicita, quia per hanc aliquid exigitur supra sortem, pro quo nullum subitur onus pretio æstimabile damni emergentis, vel lucri cessantis, sed in contractu Mohatra etiam nullum tale onus reperitur, & tamen ementem ad creditum justo pretio, imponitur, onus, & necessitas retrovendendi minori pretio, & accipiendi in numerata pecunia solum centum, ergo talis contractus est illicitus, injustus, & saltem æquivalenter usurarius; unde malitia ejus consistit in lucro ex mutuo palliato sub prætextu venditionis, & retrovenditionis.

425. Quæritur. An Mercator videns indigentiam Sempronii, qui adigitur ad emendam mercem pretio summo, & ad revendam infimo, ut suis necessitatibus consulat, peccet, intendendo, quod Sempronius sibi mercem retrovendat, etiam ad id non obliget?

Resp. Quod si præeat de hoc pactum implicitum, peccat contra justitiam, non secus, ac si pacisceretur explicitè, ut patet; si verò nullum præcesserit pactum, peccare poterit peccato scandali, eo quod videatur ditescere velle ex miseriis Sempronii, & facilè etiam peccabit contra charitatem, si scilicet citra incommodum possit subvenire Sempronio graviter indigenti, non vendendo mercem pecunia creditam tanto ejus detrimento, sed mere mutuo, & tamen renuat viscera pietatis induere, ut in ea venditione lucretur; non peccabit tamen contra justitiam, nec usuram committet per hoc, quod pecunia cre-

dita

dita vendat mercem pretio summo, quam pecunia numerata non venderet nisi pretio medio, vel infimo, & ratio est, quia etiam pretium summum est justum, unde in tali venditione non intervenit injustitia.

426. Quæritur. An mercatori vendenti credito mercem pretio summo absque prævio pacto, eo tamen animo, ut redimat pretio infimo pecunia numerata, liceat manifestare ementi hanc suam intentionem, dicendo: Vendo tibi mercem credito 105. si tamen indiges pecunia præfenti, paratas suam redimere illam pretio viliori, puta 100.

Resp. Solùm speculativè id esse probabile, practicè enim facile in manifestatione hujus voluntatis intercedit aliquod pactum implicitum, quod certè in foro externo præsumitur, & ideo contractus Mohatra sic initus, est illicitus.

M O R S C H R I S T I.

427. Quæritur. An Christus Dominus mortuus sit pro omnibus hominibus?

Resp. Affirmativè, est de fide, habetur enim 1. ad Timot. 2. coram Salvatore nostro, qui omnes homines vult salvos fieri, & vers. 6. dedit redemptionem semetipsum pro omnibus, & 1. Joan. 2. ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius Mundi; pro omnibus itaque tam parvulis, quam adultis, tam fidelibus, quam infidelibus, Judæis, & Gentilibus, ac Atheistis Christus Dominus mortuus est, & meruit; ideo omnibus quoque dantur auxilia sufficientia ad salutem

con-